



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ioannes Colvmbinvs C. 31. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Heu quàm sordet terra, cum calum aspicio! Hoc obtinuit anno M. D. LVI. vir divinis ostentis, vaticiniis, miraculis clarus & natus Ecclesie bono. Nam sanctior juventutis educatio, reducta ab exilio Musæ, proscripta hæreses, assertus DD. & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum usus, demum uterque orbis, ille CHRISTO subactus, hic servatus, & quidquid in utroq; filii vel faciant fortiter vel pariuntur, id omne IGNATIUM est opus. De Sodalitatibus VIRGINIS quid dicam? quisquis ex his MARIAM Matrem clamas, rectè IGNATIUM patrem dices. *Ex vitâ.*

O ingratiſſimum! ô duri cordis hominem! qui nō dum intelligit, se ad labores perpetiendos, atque ad gloriam Domini Nostri Iesu Christi summo conatu quarendam & amplificandam longè maximè obligatum! Ex Epist. S. P. Ignatii de perfect. Religios.

S. IOANNES COLVMBINVS C.
31. Iulij.

O Si Lector iis oculis vitam IOANNIS legeres, quibus ille Divorum legit! Et leges puto, iisdem, si leges. Succensuit hic uxori cœnam feribis apparanti. Illa, ut matrona erat præ aliis pia, jubet, dum famem rectius opsonet, oculos pascere legendis Divorum factis. Non erat hoc pro stomacho IOANNIS: abjicit librum. Mox tamen curiositate ductus tollit, legitque in quam primò oculis offendit Mariæ Ægyptiacæ vitam. Hic verò alij jam fame stimulari animus, & nauseare omnia terrena, jam templa & preces amare, benè egenis facere, asseri incubare, castitatem cum conjugio colere, ædes in publicum peregrinorum stabulum vertere, denique ille nuper in pietate discipulus

vel magistram conjugem superare. Et fortè leprâ horridum homuncionem domum portaverat, cuius nec aspectum conjunx ferte poterat. At IOANNES osculis etiam dignatus balneo recreatum in uxoris thalamo deposuit, eidemque, dum à sacris rediret, enixè commendavit. Interea dum hæc cubiculum petit, omnes odorum delicias obvias habet. Supervenit IOANNES cum bellariis, sed præter vestigia nobiles, quos diximus, odores nihil reperit. Christus fuerat. IOANNES rebus omnibus abjectis pauperem etiam ipse induit, Societatemque condidit, quam Urbanus V. Pont. probavit, patrocinio infantum inductus, qui matres suas, ut IESVATIS (ita is Ordo appellatur) benefacerent, monuerunt, tam magni oratores quam parvi fuerunt. Ex Ferrar.

Habemus hospitalitatis curam, non ut momentaneam solum retributionem accipiamus, sed ut reponamus nobis immortalium bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus, suscipiemus & nos Christum, & suscipiet etiam ipse nos in mansionibus, quas præparavit diligentibus se. S. Chrys. in Gen.

